Q. D. B. V.

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA

Exhibens

PILAM CORYZALEM IN UTERI VAGINA,

Quam

DIVINA ANNUENTE GRATIA

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

REVERENDISSIMO & ILLUSTRISSIMO DOMINO,

DOMINO

PHILIPPO WILHELMO, S. R. I. COMITE de BOINEBURG,

SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO & CAMERARIO, nec non METROPOLITANARUM ECCLESIARUM, MOGUNTINÆ & TREVIRENSIS CANONICO CAPITULARI SENIORE, EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIARIO INTIMO, ac CIVITATIS TERRITORIIQVE ERFFURTENSIS PRO-PRINCIPE &c. &c.

Conſenſu Ampliſſimæ Facultatis Medicæ

IN PERANTIQVA ELECTORALI GERANA

PRÆSIDE

Viro Præ-Nobiliſſimo, Ampliſſimo atqve Experientiſſimo

DN. JOANNE PHILIPPO EYSELIO

Med. Doct. Anatom. Chirurg. & Botan. Prof. Publ. & Facultat. Med. Aſſeſſore Ordinario, P. L. C.

DOMINO PATRONO ac PROMOTORE omni honoris cultu Devenerando

PRO LICENTIA

Summos in Arte Medica Honores & PRIVILEGIA DOCTORALIA adipiſcendi Publicæ Eruditorum Disqviſitioni ſubmittet

CHRISTIANUS Wolprecht/ Martisburg. Miſnicus

Ad Diem 31. Decembr. Anno MDCCIX. Horis Locoq; conſvetis

STANNO LIMPRECHTIANO.

VIRO

MAGNIFICO, PRÆNOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMOq́

DN. GUNTHER. CHRISTOPH. SCHELLHAMMERO

Medicinæ Doctori Celeberrimo, ejusdemq́ in Alma Fridericiana Cimbrica, quæ Kiloni floret, Profeſſori Primario,

Academ. Leopold. Nat. Cur. Adjuncto, ut & Recuper. Soc. in Italia Collegæ Graviſſimo, Sereniſſ. Ducis Gottorpienſis Archiatro Meritiſſimo.

itidemqve

VIRO

PRÆNOBILISSIMO, AMPLISSIMO, EXCELLENTISSIMO atq́ EXPERIENTISSIMO

DN. WILHELMO HULDERICO WALDTSCHMIDIO,

Medic. Doctori Famigeratiſſimo, pariterq́ in memorata Incluta Cimbrica Medicinæ & Philoſoph. Experiment. Profeſſori Ordinario,

Academ. Leopold. Nat. Curioſor. Collegæ Spectatiſſimo.

MAECENATIBUS, PATRONIS & PRÆCEPTORIBUS

Submiſſo venerationis cultu ob innumera exhibita beneficia fidemqve præſtitam

in grati animi teſſeram, hoc, qvicqvid eſt ingenii, ſtrenæ loco

D. D. D.

CHRISTIANUS Wolprecht.

PROOEMIUM.

NEminem mortalium in hoc univerſo orbis theatro dari, qvi per vitæ ſuæ curriculum non aliqvando, ne dicam, ſæpe in morbum inciderit, id maximè dolendum eſt. Hic non mirum, qvando virgines & fæminæ, amœniſſimæ Creaturæ ac debilioris conſtitutionis, morbis plurimis & multifariis corripiantur, imò ſecundum Helmontium *in ſpecie mulieres bis patiantur morbum.* Et qvem ulterius latet, qvomodo hi morbi pro ætatis, vitæ generis, aliarumqve circumſtantiarum diverſitate varient, dum nempè loca illa, qvâ Fæminæ & Virgines ſunt, ſolummodo afficiunt, nunc verò in aliis partibus, imò ſæpè in univerſo corpore, modo ſine, modo cum gravibus ſymptomatibus ſedem figunt. Qvas enim moleſtias non experiuntur ante ſangvinis menſtrui ſtillicidium? qvas difficultates percipiunt in ejusdem emanſione? & qvale periculum vitæ hiſce imminere ſolet, ſi vitæ theſaurus, nempè ſangvis, aliqvando largius in iisdem

effluat, partim in nimio menſium fluxu, partim in hæmorrhagia narium, hæmoptyſi? In qvibus affectibus ſæpius ſubſeqvuntur alia horrenda ſymptomata, lipothymia nempe & motus convulſivi. Tandem qvoqve in Cachexiam univerſalem incurrunt, in qvâ fœdo faciei colore tinguntur. Deniqve ſi hiſce pauca, doloroſa aut male conſtituta uteri purgamenta obveniant, ita ut rheumatiſmo uteri afficiantur, qvi a nonnullis fluor albus appellitatur, qvam moleſtiam ſexui ſeqviori præcipue Virginibus creet hic morbus, tam ob ſummam ſpurcitiem, qvam aliorum ſymptomatum concurſum infauſtum, difficile dictu. Nam ab hoc præternaturali fluxu miſellæ Virgines adeo notabiliter debilitantur cum appetitus proſtratione, dorſi & inteſtinorum dolore & contabeſcentia inſigni. Inſuper nonſolum exterius, verum qvoqve interius partes ita eroduntur & exulcerantur, ut præ dolore vehementi vix urinam mittere qveant. Qvibus tandem ſuccedere ſolent lipothymiæ, involuntariæ artuum concuſſiones, donec tandem â perfecta macie trucidentur. De hoc affectu in præſenti Diſputatione Inaugurali juſſu Ampliſſimæ Facultatis Medicæ acturus, ac qvomodo cauſæ hujus ſint tollendæ, brevibus demonſtraturus ſum. Faxit autem Divina Clementia, ut omnes conatus noſtri cedant in Nominis Divini Gloriam, Proximi Salutem & Emolumentum!

§. I. Affe-

§. I.

AFfectus autem noſter *à Dolæo in Sua Praxi Pila* vocatur, qvod Vocabulum alias denotat ſecundum *Reyheri Lexicon* vas concavum, ſeu craterem, vel vas aliqvod, in qvô Aqva Benedicta ab *Italis* aſſervatur; hoc in loco ſumitur metaphoricè, qvatenus vagina uteri ſimile vas concavum repræſentare ſolet, atqve interdum varii generis humores peccantes in ſtatu præternaturali aſſervare; qvando autem Epitheton additur *Coryzalis*, eo ipſo indigitatur materia peccans interius latens Coryzalis dicta. Simile eſt deſumtum à narium Coryzali materiâ effluente, qvemadmodum enim talis mucoſa materia ex cavitate narium interdum copioſe fluere, nonnunqvam verò ob viſcoſitatem & acrimoniam nimiam in naribus diu hærere ſolet, atqve gravitatem, torpitudinem & laſſitudinem capiti inducit; Ita ſimili modo talis materia mucoſa interdum copioſius, interdum verò parcius per vaginam excluditur, cum totius corporis Cachexia, ponderoſitate & laſſitudine omnium membrorum, qvin & doloribus capitis ac torminibus ventris. Ab aliis etiam cognominatur Rheumatimus uteri, item Fluor

albus *Hippocrati* dicitur; Galenus verò muliebre profluvium appellitat, ac inter uteri rheumata refert, ab *Aëtio* diuturna uteri deſtillatio, â *Felice Platero* fluxus albarum humiditatum, apud *Langium* Gonorrhæa notha; à *Schneidero lib. de Catarrhis* uteri catarrhus, tum ob materiæ catarrhoſæ analogiam qvandam, tum ob fluxum interpolatum & potisſimum lymphæ ceu materiæ & vaſorum ejus, uti & glandularum culpam. Germanicè nuncupatur der weiſſe Fluß oder Weiber Fluß.

§. II.

Cum verò fluxus hicce ſit vitioſus, naturæ moleſtus, extraordinarius, intempeſtivus, à ſangvine planè diſtinctus & alienus, ac actiones lædat, merito inter excreta, in qvalitate & qvantitate, loco, tempore & aliis accidentibus peccantia interſeri meretur. Definitur verò *pila coryzalis, qvod ſit humoris pituitoſi ſubinde craſſioris plerumqve albi, aliqvando etiam alius coloris, ſine & cum dolore per uteri vaginam, copioſior & freqventior excretio à glandularum ingvinalium, uteri vaginalium copioſâ viſcidioris, lymphæ evacuatione & ſeqveſtratione proveniens.*

§. III.

Genus ritè poſuimus, qvod ſit humoris pituitoſi copioſior & freqventior excretio, fluit enim in hoc morbo affectis materia magis vel minus fluxilis inſtar muci è naribus, velichorisè fonticulis, & in aliis continuo fermè & qvotidiè, in aliis verò periodicè & ſtatis temporibus curſum ſuum repetit, modo ante, modo poſt menſtruorum fluxum. *vid Roderic. à Caſtro.* unde qvoqve nonnulli huncce fluxum diſtingvere ſolent in legitimum & ſpurium; illum vocant, qvi continuo & promiſcue citra ſtatam temporis periodum indifferenter affligit; hunc, qvi per intervalla ſive vices repetit & redit.

§. IV.

De ſubjecto hujus affectus Autores inter ſe non conveniunt, alii enim uterum, alii hujus orificium interius,

alii

alii vaginam glanduloſam, alii maſſam ſangvineam pro domicilio agnoſcunt; Verum facile nos extricare poſſumus, ſi diſtingvamus inter ſubjectum excretionis & collectionis, & inter ſubjectum generationis, ſimiliter inter ſubjectum cauſæ & ſymptomatis, pro diverſo itaqve reſpectu, & prout afficiendi modus variat, interdum uterus, interdum hujus orificium, vel etiam vagina & hujus glandulæ, imò interdum ipſe Sangvis Subjectum dici merentur.

§. V.

Agnoſcit autem hicce fluxus multas easqve varias differentias, & qvidem ſecundum *Dolæum* & *Ettmüllerum* qvoad vehementiam ſymptomatum, dum alius eſt moderatus, alius eſt immoderatus, alius continuus, alius periodice exiens, alius longus, alius brevis, alius albicans & pituitoſus, ſero, lacti & cremori ptiſanæ ſimilis, alius viridis, diverſicolor, fœtidus & non fœtidus. Hoc qvoqve confirmat *Ettmüllerus in Praxi ſua de menſtrui fluxus vitiis* dicens. Hic fluor albus longè aliud vitium eſt à menſium decoloratione, cum æqvaliter & menſtruatas & non menſtruatas affligat, tam qvæ nunqvam menſtrua adhuc viderunt, qvam etiam, qvibus jam lege naturæ menſtrua non amplius fluunt: Et qvidem has poſteriores, qvibus menſtrua ceſſant, familiariſſime affligit hic fluxus: Rarius verò virgines aut puellas innocentes polluit; qvin & gravidas afflixiſſe, obſervatum fuit. Teſtantur qvoqve Obſervationes, puellas octennes, item novennes, item puellas 13. annorum, qvæ nunqvam nec menſtruum fluxum, nec virum paſſæ fuerunt, huic ipſi fluori albo fuiſſe obnoxias. Nec contemnenda eſt Differentia iſta, qvam *Heurnius* obſervavit, dum fluorem album dividit in fluorem uterinum, qvi ſolummodò ex uteri orificii vitio accidit; Poſteriorem verò vocat profluvium muliebre, ceu tale, qvod ex totâ muliere effluat, & tunc ſimul concurrit cachexia ſeu Leucophlegmatia totius corporis, interdum cum tumore pedum, torpore actionum, & flacciditate membrorum, & qvæ ſunt alia ejusmodi concurrentia ſymptomata,

§. VI,

§. VI.

Ordo nos ducit ad Cauſarum examen, ex qvibus primum ſe ſiſtit cauſa proxima ſeu immediata, qvæ eſt laxatio Orificii glanduloſi ejusqve flacciditas, & tonus iſtarum glandularum ita laxatus, ut per eas tanqvam per Emunctorium qvoddam univerſale excernatur mucus vel chylus crudus, copioſo ſero acri dilutus, idqve cruditatibus communicatis maſſæ ſangvineæ, & â vitio ſtomachi prognatis, erit adſcribendum. Ex Anatomicis Sectionibus ſiqvidem toties iteratis abunde conſtat, qvomodo nempe tam in ſtatu naturali qvam præternaturali uteri interior ſuperficies admodum poroſa ſit, & in ſtatu naturali æqve ac aliæ cavitates & canales v. gr. ureteres, urethra, inteſtina &c. ſemper humiditate qvadam ſeroſa irrigentur; In vagina verò uteri proſtatæ non ſolum inveniuntur & in canales qvosdam terminantur, quorum exitus prope Urethram Lacunas dictas conſtituunt; Verum qvoqve in reliqvo vaginæ Tractu hinc inde intertextæ conſpiciuntur, glandulæ qvæ per poros ſeri plus minus viſcoſi, cum illo è lacunis profluente, liqvorem ſtillant, ut humectata vagina tam ad congreſſum facilitandum, qvam fætus egreſſum juvandum, apta reddatur. De hujus materiæ diverſitate ſupra citatus *Ettmullerus* ſeqventia verba habet: Fluor albus eſt excretio colluviei variæ per genitalia, dum ſcilicet nunc humor pituitoſus ſeu craſſus & mucoſus, nunc aqvoſus & ſeroſus effluit, isqve interdum paucior, interdum copioſior, interdum acris, ſalinus & mordax, interdum verò benignus mitis & blandus. Albus utplurimum, nonnunqvam verò flaveſcit, virideſcit, interdum alio vitioſo tinctus eſt colore. Item ſecundum *Paræum l.* de generat. hom. cap. 8. modo citrinus aut pallidus, modo lividus, ſanioſus, ſubviridis. Odoris ratione qvoqve variare ſolet, Odore alias teter eſt & graveolens, alias nullo odore moleſtus, modo acris, interdum veſicans, corrodens, adurens, ſalſus, ichoroſus, ut qvascunqve partes attigerit, erodat, aut ſaltim leviter exulceret, ob particulas bilioſas, ſalinas exſuperantes, vid. *Regnerus de Gräff. de organ. mulierum;*

ita

ita qvoqve excreta materia modo eſt tenuis & aqvea, á ſeroſitatibus in corpore abundantibus; alia ſpiſſior vel inſtar albuminis ovi conqvaſſati, aut albi muci, aliqvando etiam viſcoſa ac lenta. Ita qvoqve materia alia eſt ex utero proveniens, alia in vagina hoſpitans, alia ſolitaria, alia gravioribus ſymptomatibus ſtipata, nempe ab aliorum viſcerum mala conſtitutione dependens. Nonnulli hunc affectum ad menſium fluxum album referre volunt, dum ſolent vocare menſtrua alba & gonorrhœam non virulentam; verum hisce aperte contradicit *Dolæus in Praxi, pag. 889. cap. 4. de morbis mulierum*, qvando inqvit: Hic fluor qvibusdam perperam menſtruorum alborum nomine venit; cum primò neqve menſibus, neque citius, nec tardius, qvemadmodum in menſtruo fluxu obſervare eſt, manare ſoleat. Secundo, qvia hic fluxus à productionis ſuæ initio ad integram ſui ceſſationem plerumqve perducere ſolet. Tertio, qvia ante & poſt menſtruorum tempora nonnunqvam obſervatur. Nulla enim ætas ab hoc malo immunis exiſtit; qvæ ſimul conſiderata, dubio procul demonſtrant, hunc fluxum cum menſtruo minimè convenire, licet inſtante fluxu menſtruo ſæpius ſit copioſior, propter copioſiorem ejus materiam, tunc temporis ad glandulas illas uteri cervicales amandatam atqve coacervatam.

§. VII.

Alii & quidem Veteres judicarunt, hunc liqvorem eſſe ſemen mulierum, qvod per *Tubas Fallopianas* ad uterum profluat, & in venereis ſeu laſcivioribus copioſe excernatur, absqve virium jactura. Sed *Celebris Anatomicus Philippus Verheyen in corporis humani Anatomia* pag. m. 101. aliter ſentit, qvando dicit: Reperiuntur per totum Vaginæ ductum multi pori ſeu meatus exigui, ex qvibus continuo ſaltem ætate vegetis, emanat ea materiæ ſero-pituitoſæ copia, qvæ ad partes illas humectandas ſufficit. In Veneris actu & ſæpe qvoqve in libidinoſis affectibus extra pudenda profluit, ac

paſſim pro muliebri ſemine haberi ſolet, aſt perperam: ſiqvidem verum ſemen non foras, neqve ex inferiori vaginæ parte erumperet; ſed vel ex ſuperiori, vel ex uteri lateribus, aliave parte interiori in cavitatem correſpondentem proſiliret. *Celeberrimus Ettmüllerus in fundamentis Medicinæ veris* hunc liqvorem, lympham ſeminalem vocat, cujus excretionem non tantum ipſæ mulieres percipiunt in coitu, utpote, in qvâ primaria earum voluptas conſiſtit, & cujus præternaturali effuſione ipſæ etiam gonorrhææ obnoxiæ ſunt. Analoga eſt hæc lympha genitalis iſti, qvam mares in proſtatis conficiunt, cum & in fæminis, in ſimilibus glanduloſis corporibus collum veſicæ ambientibus, generetur & excernatur. Qvinimò ipſius uteri & vaginæ ejus membranoſa ſubſtantia, cum ad naturam glandularum proximè accedere videatur, ita ut non ineptè Moderni aſſerant, etiam ſui generis lympham, non absqve voluptatis ſenſu effundi, cum non tantum ipſa vagina perpetuo liqvore moderate madeat, ſed interdum adeò copiosè à qvibusdam in congreſſu ſoleat effundi, ut ex iſtis proſtratis circa veſicam, minime omnis derivari qveat. Tandem quoque evincit ratio, qvod hæcce lympha non ſit ſemen muliebre, ſiquidem in qvibusdam absqve ulla virium proſtratione, imò cum facie florida, talis moleſta materia copioſe excernitur. Aliud itaqve experimur in maritatorum ejaculatione ſeminis involuntaria nocturna, à quâ vires notabiliter abſumuntur & pereunt, â ſeminalis liqvoris præcedente excluſione, ita enim unanimiter conveniunt Autores in hoc, qvod nempe unica ſeminis emisſio, plus debilitet, qvam ſi ſangvinis ℔ j. extracta fuerit. Igitur ſi ad has glandulas vaginales ſerum vel bonum vel copioſius affluat, vel vitioſum acido auſterum ad excesſivam excretionem ſtimulet aut irritet, aut ſi modo dictæ glandulæ juſto laxiores promptius ſerum admittant, aut propter vitiatam conſtitutionem ab impuriore concubitu, prædictum ſerum corrumpant, fluor albus ejusmodi uteri excitatur, non aliâ ratione, ac Coryza in naribus, ex quibus ſimilis

mate-

materia mucoſa, acris & catharroſa excluditur. Imò obſervarunt Practici celeberrimi, inter qvos ex profeſſo *Experientiſſimus D. Schneiderus Tractatum conſcripſit de Catarrhis, lib. 3. cap. 8.* in qvo probat Experientiâ edoctus, qvomodo nempe fluor albus Coryzam comitetur, & hæc in illum, & ille in hanc freqventius commutetur. An verò uterus etiam talem liqvorem interdum evacuet, probabile videtur, ſiqvidem id ex uteri textura poroſa & glanduloſa facilè concludere licet.

§. IIX.

Cauſas remotas qvod attinet, tunc omnes iſtæ res talem effectum producunt, qvæ nempe frigiditatem, laxitatem, ac humiditates uteri vaginæ augere poſſunt. Lympham verò hic præ aliis omnibus humoribus accuſamus, utpote, qvæ præternaturaliter conſtituta, viſcoſa, ichoroſa tanqvam cauſa continens & materialis fluoris albi habetur, qvæ non ſolum in utero & circa glandulas ejus ſtagnans, extravaſata, vappeſcens & ichoreſcens, principaliter concurrit; ſed etiam extra uterum in vagina copioſius genita, vel ab aliis partibus in hunc locum transmiſſa, & ad partem debiliorem propulſa, fluorem album promovet & auget. Glandularum verò ratione interdum evenire ſolet, ut harum canales ſint obſtructi, ita ut lympha in porulis hæreat, ſtagnet, imò perſæpe coaguletur, ac in vaſis turgescat, hinc diſtenſione ſua ſolutionem continui inducit, id qvod obſervabile eſt in eroſione glandularum circa genitalia, atqve ſic in ichorem ſerius ocyus fatiscit & corrumpitur, & prout vel longius vel brevius ſua ſubſiſtentia, morâ & acqviſita acrimoniâ varias tragœdias ſub hoc vel illo ſchemate ludit. Qvod ſi talis ſtagnatio humoris diu in corpore continuaverit, tunc ſolet fieri habituale, adeò ut omnium humorum totius corporis humani, qvalitate & qvantitate peccantium ad ejusmodi locum excretorium fiat affluxus, qvemadmodum alias in fonticulis evenire ſolet, qvatenus nempe ad eosdem derivatur ad aſſveta loca excretoria humor qvalitate & qvantitate

peccans. Pertinet huc qvoqve qvalitas lymphæ mutata, dum nempè vel eſt nimis craſſa, glutinoſa, tenuis, ſeroſa, ichoroſa, mucoſa, cremoſa, ovorum albumini ſimilis vel cremori, interdum pallida magis vel citrina, prout nempè interius â fermentis peregrinis exterius advenientibus, vario modo modificatur & characteriſatur. *Sylvius in ſuâ Praxi* accuſat fermentum acido-auſterum, in utero productum, maſſam verò ſangvineam non valdè mutatam. In immoderato verò fluxu ſangvinem variis modis vitiatum, præſertim ſi humores pituitoſi redundent in toto corpore, indeqve amandentur ad uterum, ſicqve eliminentur è corpore. Judicat verò idem Autor, qvod duplici modo afficiatur, nempè mediate, affectis primò glandulis præcipuè Pancreaticis, acidum illud ad uterum amandantibus, uti & aliis glandulis præcipue vaginalibus; Secundo immediate, ſi uterus cum vagina à frigore externo afficiatur. Primaria ſedes itaqve hujus affectus qværenda erit in utero & hujus partibus, Secundaria v. in ſangvine aliisqve humoribus vitioſis ſangvini confuſis, & unâ cum ipſo ad uterum tendentibus. Qvo fluxus n. viſcoſior & ſeroſior, tunc qvoqve ſangvis ſimilis exiſtit, pro cujus diverſitate & color diverſus oritur in excretis, & tandem concludit, quod fluor albus maximam partem dependeat ab acrimoniâ acida ſangvinem in pus ſimile mutante. Ex modo dictis poſſet qvispiam ſcrupulum concipere, & objicere, ſi à laxitate tubulorum glandularum vaginalium oritur fluor albus, tunc humores acidi ibidem ſtagnantes, potius conſtringerent tubulos glanduloſos, qvam ut tonum iſtorum nimium laxent, & tunc nullus adéſſet fluxus albus? Verum teſtantur Obſervationes in nonnullis fæmellis, qvod nihilominus liqvor albicans exiverit, licet ab acido humore peccante in vagina uterina muſculus conſtrictorius, qvi ſub clitoride ſitus latitudine tres fere digitos æqvans, & inferiorem vaginæ partem arctè complectitur. Hujus munus aliàs eſt, vaginam conſtringere maximè poſt abſolutum opus conjugale, ne aër exterius irruens, ſemini aut

ipſis partibus aliqvam noxam inferat. vid. *Verheyen in Anatomia corporis humani: cap. 26. De uteri Vagina.* Talis verò muſculus qvod in Matronâ certâ fluore albo laborante adeo fuerit conſtrictus, ut nec mariti mentulam admiſerit vagina, nihilominus humore albicante uberius ex eadem profluente, & qvod mirandum, cum malarum rubore, ita ut ex facie nihil quicquam de hujus morbi præſentiâ obſervatum fuerit, id qvod experientia edocti teſtamur.

§. IX.

Ad cauſarum ſeriem nonnulli referunt quoque cauſas naturales, qvæ quaſi ſint connatæ, ac certis familiis familiares; Verum, qvis vellet hancce connatam colluviem & impuritatem ſangvinis pro naturali venditare, ubi enim talis effectus connatus, ibi qvoqve ſangvis impurus, viſcidus, ſeroſus, acris & diverſimode vitiatus præſupponitur. Imò plerumqve gonorrhæa conjuncta ſuspicanda & qvidem forſitan virulenta. Concedimus qvidem, qvod iſtæ fæminæ. qvæ habent corporis habitum molliorem, à compage ſangvinis ſeroſiore, ſero laxiore, fibris minus ſolidis & robuſtis, ſpirituum rariori textura & facilè diſſipabili, carnibus laxioribus, lympha minus activa, ſpiritus animales & vitales lympha excedente immerſi, citius obnoxiæ ſint huic affectui qvam viri, ſed talis aptitudo nihil infert ad ſtatum præternaturalem, cum in & ſuâ naturâ recedat â ſtatu præternaturali, ac actiones omnes in hoc ſtatu integræ ſint, ubi verò talis corporis teneritas & mollities à rebus præternaturalibus afficitur vel læditur, tunc demum fit morbus aut ſymptoma.

§. X.

Inter cauſas mediatas remotiores etiam pertinent Sex Res Nonnaturales, ex qvibus agmen ducit Aër, cujus vis eſt maxima agendi in corpus humanum, præſertim verò hujus vis exceſſive ſe prodit vernali tempore, & hyemali, *ſe-*

cundum §. 20. & §. 23. ſect. 3. Hippocratis. In ſpecie verò aër frigidus, nebuloſus, multis imbribus & nebulis contaminatus, in motu lymphæ variando, cujus ſtagnatione pro variis partibus & in variis locis, diverſos qvoqve aſſeqvitur effectus, maximam moleſtiam creare ſolet, ſiqvidem ex hujus maligna virtute ſæpius Coryza & tuſſes Epidemice graſſantes fuerint exortæ. Imò experientiâ qvoqve conſtat, qvomodo nempè à nimio frigore uterus facilè glandularum obſtructiones pariat, horripilationes notabiles & flatulentias in utero cauſetur, ita ut hicce ſolus ſufficiat in hujus mali productione, atqve ſic inſpiratus aliis qvoqve morbis anſam præbeat, nempè catarrhis, coryzæ narium, aſperitati & raucedini faucium, & ubi in puerperis citò ex puerperio egredientibus largius admittitur, hydropem uteri, intumeſcentiam, ad minimum hydropi fermè ſimilem, ſeu Tympanitidem inferat, uti hoc ex ſignis Prognoſticis inferius fuſius demonſtrabitur. Hinc in Septentrionalibus locis & paludoſis facilius talem dyscraſiam contrahunt, præſertim eæ, qvæ vel lavandi gratia in locis frigidis verſari coguntur, & qvarum partes ab externo aëre irruente, non ſatis veſtimentis tectæ & munitæ. Qvemadmodum verò nimium frigus hujus morbi cauſa exiſtit; ita è contra calor nimius eundem effectum poſt ſe relinqvit. Hoc facilè experiri poſſumus à fæminis & puellis, qvæ continuo in foro ſedentes, aëris frigidi inclementiam focis & igniariis prunis candentibus mitigare annituntur, in qvibus acidum carbonum lymphæ ſtagnationem & ſangvinis incraſſationem producit, ut ſangvis à nimio calore carbonum qvaſi exuſtus ſtagnet, & nigerrimum colorem pedibus conciliet. Iteratæ & ſubitaneæ mutationes è calido loco in frigidum & vice verſa ejusdem ſunt commatis ac præcedentes cauſæ. Aëris calidioris in frigidum & humidum mutationem experiuntur iſtæ cum maximo damno, qvæ ex locis ſalubrioribus & temperatis in ſeptentrionalia loca ſe conferunt, atqve in his malum facilè exaſperatur, imò ſi non patiuntur, iisdem in locis absqve omni difficultate contrahere qveunt,

tunt, præſertim ubi continue nebulæ & ſylveſtria effluvia aëris porulis ſeſe inſinuant, & cum iſto continuo inſpirantur, qvæ poſtmodum ſqvalidum ſangvinem cauſantur, ut ſangvis ſenſim ſenſim gelatinoſus fiat, atqve in venis & arteriis in motu turbetur, imo in nonnullis deſiſtat.

§. XI.

Qvid cibus & potus excedens vel qvalitate peccans ad hoc malum producendum contribuere poſſit, toto experimur die. Alimenta itaqve omnia cauſam præbent affectui noſtro, qvæ actu ſunt frigida, inviſcantia, incraſſantia, adſtringentia & terreſtria, hæc enim & ſimilia ſangvinis volatilitatem & puritatem figunt & turbant, ventriculi fermentum iners, & ad ſolutionem & fermentationem alimentorum ineptum reddunt, ut particulæ volatiliores deinde in corpore deficiant, & corpus ſegne ac torpidum reddatur. Talismodi virtutes habent cibi craſſioris ſubſtantiæ, potus copioſior aqveus, mucilaginoſus, qvales ſunt lac, emulſiones, ptiſana avenacea & hordeacea; Item vinum acidius, cereviſia craſſa & aceſcens, acetum, aqvæ acidulæ naturales & artificiales, vinum ſuccis acidis limonum aut citri &c. mixtum, quæ non modo refrigerant, verum quoque, ſi ſumantur ab incautis quibusdam, quorum humores poſt exercitia varia corporis & ſaltationes, corporis in motu vehementiſſimo ſunt, lethale frigus ſæpius excitent, item palpitationem cordis, aſthma & alia ſymptomata, vias n. humorum corporis noſtri ſubtiliores anguſtasque, motu præcedenti ampliores redditas, multoque humore repletas, ſubito adſtringendo, præcludunt, ipſamque lympham coagulando ineptam reddunt, ut poros adſtrictos liberè permeare neqveat. Pertinent huc & piſces marini præſertim paluſtres & glutinoſi, qui obtundunt volatilitatem fermenti ventriculi, inſpecie verò cochleæ, oſtreæ, haleces, caſeus acidulus recens, fructus horarii acerbi, oleoſa & pingvia, quæ acidum in ſe continent, ac propterea ſecundum *Sylvium*

ſi

ſi â tali acido non producatur, ad minimum tamen foveatur & augeatur, ac proinde in Belgio freqventiorem eſſe hunc affectum ac alibi, hoc confirmat *in ſuâ Praxi l. 3. c. 4.*

§. XII.

Exceſſus in Somno & Vigiliis ſi fiat; inſigne pondus huic morbo addere qveunt; Uti enim vigiliæ nimiæ ſpiritus animales & vitales notabiliter abſumunt & deperdunt, ut tremor artuum exinde oriatur, & vires proſternantur mirum in modum, & ſanitati hoc modo vis inferatur; Ita qvoqve Somnus, ſi modum excedat, ſerum excrementitium in corpore augendo, ſanitatem labefactando, lædere ſolet. Præſente itaque ſomno, particularum muſculoſarum variarum motus ceſſat, ipſiqve ſpiritus in ſenſoriis externis motus ab objectis externis non experiuntur, & ſi usqve ad meridiem continuetur, corpus ſucceſſive Leucophlegmatiam contrahit, & cachexia Scorbutica ſubſeqvitur, qvæ multoties fuit cauſa hydropis uteri ejusdemque ovarii, & quidem facilius poteſt excitari fluor albus, quam modo dicta ſymptomata. Idem quod vigiliæ nimiæ efficiunt, illud qvoqve motus nimius efficere poteſt, ita qvoqve qvietis immoderatæ & ſomnolentiæ ſymptomata eadem ſunt.

§. XIII.

Hîc qvoqve Animi pathemata calculum ſuum ſolenniter adjiciunt, qvid enim mœror & triſtitia, ſollicitudo, terror, timor & alia pathemata efficiant, præſertim in ſexu ſeqviori, illud ipſum teſtari poſſunt viduæ multis liberis oneratæ, in his enim fluor albus ſolummodo à mœrore & triſtitia generari poteſt, ſiqvidem ſecundum *S. Scripturam*: Triſtitia interimit Cor. & ſecundum *Helmontium*, idea mœroris & triſtitiæ Archeo impreſſa, non facilè hiccè delere ſolet, ſed diutius retinere, à qvibus affectibus ſpirituum generatio impeditur, & propter ſpirituum animalium & vitalium defectum, omnes humores fiunt acriores, ſubſeqvuntur

tur

tur deinde ſudores colliqvativi, atqve ſangvis ſuis ſpiritibus orbatus ſubſiſtit in venis, incraſſatur & in glandulis totius corporis obſtructiones & ſubſeqventer partium genitalium eroſiones parit, imò depaſcit corpus adeò, ut marasmus demum ſeqvatur. De terrore ſubitaneo loqvitur qvotidiana experientia, qvod nempè multoties inopinatæ mortis extiterit cauſa, ſpiritus animales nempè abſumendo & expellendo ex corpore, unde ſangvis congelaſcit, & incraſſatur, ut nulla amplius motus animalis appareant veſtigia, ſed corpus tanqvam cadaver immobile reddatur. Similiter & Ira ſuum ſymbolum hic conferre poteſt, imprimis, ſi poſt hujus excandeſcentiam potus frigidus abundanter ſuperbibatur, tunc enim omnis generis ſymptomata periculoſisſima exindè pronascuntur, imò perſæpè inopinata mors, febris ardens, diarrhææ & fluxiones lethales, bilis enim in iracundiæ calore ſi ſale volatili abundet, & in inteſtina ſit propulſa, continuas ſtimulationes in inteſtinis tam tenuibus qvam crasſis excitat, imò inflammationes & febres inflammatorias cauſatur.

§. XIV.

Excretiones conſvetæ intermiſſæ & qvæ retineri debebant, ſi excludantur, magnam in corpore humano alterationem pariunt, impuritates enim ſangvinem & ſpiritus conſpurcant ac in motu turbant, partes externas aliàs ſat mobiles, rigidas efficiunt, cruditatesqve tam viſcidæ, qvam ſeroſæ & ſcorbuticæ cumulantur, undè non aliter fieri potèſt, qvam ut huic affectui fores pandantur. Natura enim aliàs puritatum amantisſima, propterea tam varia emunctoria in corpore humano conſtituit, pro ſecernendis ſuperfluitatibus & excrementis, partim ex naribus, faucibus, pulmonibus, inteſtinis, renibus, veſica, utero & cutis porulis per inſenſilem transſpirationem; qvod ſi tales viæ præcludantur, inſigne periculum corpori humano minitantur. Ut unius ſolummodo excretionis læſæ mentionem faciam, nempè ob-

ſtructionis menſium, qvæ plerumqve fluorem album comitem habet, id qvod *Rolfinck. l. XI. conſult. 4. confirmat*; dicens: Si lunare tributum non æqvè pendant ordine naturæ mulieres, vacillat ſanitas earum, nec abeſſe poſſunt morbi, ſi mucoſæ deſtillationes per nares, & ſalivales per os cum euphoria excretæ aliàs, ſuppreſſæ ſint, ac translata huc materia, fores pandunt huic affectui; Et alio in loco dicit *in Diſſertat. Anatom. lib. 6. cap. 57.* Se noviſſe mulieres emunctæ naris, qvibus perpetuò humoris albi ex utero ſtiria manaret, eò, qvod arteriæ ad nares pertingentes, ſangvinis & ſeri impuritates eò delegatas, foràs non ablegarent. Secedunt ergò per muliebria ſordes, qvæ alibi viâ excluſæ fuerant, metaſtaſi ad uteri glandulas facta. Inprimis verò Veneris intempeſtivum & immodicum exercitium hujus affectus cauſa exiſtit, dum nempè per id viæ nimis laxantur, & humores ad iſtas partes ſeroſiores copioſius rapiuntur ad eadem loca, qvi tonum glandularum ductuum in teneriotibus debilitant, poros laxant & vaſa lymphatica lædunt. Venæ ſectio aliàs adhibita, & per aliqvot annos intermiſſa, huc qvoqve trahenda erit, item aliæ evacuationes conſvetæ intermiſſæ, ſimilia mala pariunt.

§. XV.

Ex præternaturalibus cauſis permulti affectus dantur, à qvibus fluor albus profluit, v. gr. malum hypochondriacum melancholicum, & hinc dependentes obſtructiones viſcerum in abdomine præcipuè ſitorum, nempè liènis, hepatis, meſenterii, cachexia, ſterilitas antegreſſa, totius corporis cachexia, uteri frigida diſpoſitio. Pertinent ſub hunc cenſum partus laborioſi, mola, abortus freqvens, ſecundinarum improvida & violenta poſt partum avulſio, lochiorum fluxus imminutus & depravatus, lumborum excedens refrigeratio, ovarii hydrops, exeſio & eroſio glandularum uteri, & qvæ ſunt plures vitioſæ diſpoſitiones ad hunc morbum diſponentes.

§. XVI

§. XVI.

Pergimus nunc ad ſignorum examen, quod maximè Medico abſolutè neceſſarium eſſe videtur, qvi enim ex ſignis probe cognoſcit morbum, iſte facilius & meliori conſcientia Curationem aggredi poteſt, ac iſte ſignorum ignarus qui eſt, & niſi velit incurrere Famæ periculum, quemadmodum hoc optime annotavit *Excellentiſſ. Dominus SCHELLHAMMERUS Profeſſor Chilonienſis Celeberrimus, Patronus ac Præceptor meus ad vitæ dies non ſatis depredicandus, qvi in aureo ſuo tractatu, qvi dicitur, Via regia ad artem medendi.* Sequentia verba habet: Ego ſane ſæpe mecum miratus ſum, ſi qværas de defunctis ægris, quo morbo laboraverint, reſponderi; Neſcitur: Ipſi Medici morbum cognoſcere non potuere. Unde aliqvo tempore talis farinæ Medicus interrogatus, qvo morbo virgo, qvam habuiſſet ſub manibus, laboraſſet, reſponſum tulit, illam novem morbis laboraſſe. Similiter & alio tempore judicium tulit de morbo, quo extincta fuerit virgo? reſpondit Apoplexiâ & Epilepſiâ. Verum hi omnes errores ex Pathologiæ, & Semiologiæ ignorantia proveniunt, atqve ex his concludendum, qvod talismodi Medicus morbum non agnoverit, vel ſymptomata pro morbis habuerit, atque morbo neglecto & cauſa ignoratâ, Curationem temerariè inſtituerit. Signa Diagnoſtica hujus affectus itaqve optime propoſuit *acutiſſimus Dn. Baglivius Med. Doct. & Profeſſ. Anatom. in Archi Lyceo Romano, Lib. 2. Praxeos Medicæ, cap. 8.* §. 3. ubi ſequentia verba ponit: Arcana neceſſitatis ſignorum Diagnoſticorum ii duntaxat agnoscunt, qvi ad curationem morborum vel complicatorum, vel obſcure procedentium, vel ſimilitudinem cum aliis morbis habentium, vocati, in tanta confuſione ſtatim hærent, & poſt moleſtas vexationes mentis, ab ea veritate longe diſtant, qvam putabant, jam habere pro comperto, unumqve morbum pro alio curantes, catalogum morborum incurabilium in infinitum adau-

gent. Sed omnes hæ nubes brevi diluuntur, ſi in ſolertiſſimum Autorem inciderint, qvi candidè legentibus propoſuerit. Fluor albus uterinus & gonorrhœa Gallica adeo ſimilibus comitantur ſymptomatibus, ut qviſqvis Medicorum ferè ſemper decipiatur in illorum diagnoſi, præſertim cum mulierculæ verecundia perfuſæ, gonorrhœam per impurum ſcortum contractam fluoribus uterinis mentiantur. Ne ſuccedant im poſterum hæc incommoda, dabo ſignum infallibile, tales morbos ad invicem diſtingvendi. Pete à muliere, an ſuperveniente menſtruo ſangvinis fluxu, perſeveret qvoqve eodem tempore fluor iſte albæ materiæ; ſi dicat, qvod ſic, ſignificato eidem, qvod morbus, â qvo divexatur, ſit gonorrhœa Gallica; ſi verò durante menſtruatione fluor albus evaneſcat, & eadem finita, denuò regrediatur, pro certo habeas, mulierem fluore albo uterino laborare; Cætera ſigna fallunt, hoc verò conſtans eſt, & mulierum dolum apertè deludit. Alias qvoqve ex urina deſumitur ſignum, in qvâ præter naturam albidior & crudior materia ad fundum ſecedit, & ſedimentum pituitoſum inodorum, interdum flocculi albi pituitoſi perſpiciuntur. Accedit dolor lumborum, abdominis, hypogaſtrii, cordis palpitatio, atrophia & gravitas totius corporis, ac hujus color vitiatus, interdum ſubſeqvitur cachexia, manuum & pedum tumor, ſterilitas & ad concipiendum impedimentum. Humores evacuati modo albi, modo virides, modo flavi, modo ſeroſi ſero lactis ſimiles. *Ettmüllerus loco citato* ſigna ſeqventia Diagnoſtica proponit; Ubi fluor eſt gonorrhœa vera, tunc fluunt pauca moderatè citra ullum acrimoniæ ſenſum, & talis gonorrhœa vera ſeu fluor diu citra inſigne incommodum durare poteſt; Si verò copioſa aut acria aut decolorata etiam aut ſimilia effluant cum cachexia corporis, virium proſtratione & omnium actionum torpore, tunc Gonorrhœa notha talis fluor eſſe ſolet, qvi & ubi acrior ſimul concurrat lympha, tam febris nocturna ſeu veſpertina qva catarrhalis, tales fœminas affligere ſolet, tunc febricula lenta qvædam imprimis

veſper-

vespertino tempore exacerbans ſolet ſimul concurrere.

§. XVII.

Prognoſis de eventu hujus affectus ſeu ſalutari vel minus ſalubri judicium præbet, ſciendum vero, qvod hoc malum diuturnum ſit, præcipue in Vetulis cachecticis, aut Cacochymicis, aut quibus menſtrua diu ſubſtitere aut fluere deſiere, aut virginibus aut viduis chloroſi laborantibus, aut qvibus diuturnior graviorqve aliqvis affectus uteri accidit, & glandulæ vaginales induratæ, vel alio modo læſæ ſunt, in ſenibus Vetulis hic affectus non facile curatur, quoniam pori glandularum ſunt ſemel detorti & conſtanter ita manent, ut ad ſtatum naturalem iterum deduci neqveant. Quoniam etiam monente *Williſio in Pharmaceut. Rational. part. 2. ſect. 1. cap. 5.* ſuccus nutritius ad uterum confluit & ibidem decedit, ita demum propter ſucci nutritii diſpendia non modo partium vicinarum, ſed etiam totius corporis langvor & emarcescentia ſubſeqvuntur. Qvi fluxus Chronicus qvaſi eſt, multoties in hydropem, ſuffocationem, Phthiſin & Hecticam degenerare ſolet. Qvo mitiora & benigniora adſunt ſymptomata, citioris reconvalescentiæ ſpes affulget. *Riverius* in tali ſtatu menſis ſpatium curæ abſolvendæ dedit, diuturnô licet afflicta malo fuerit ægra, *Centur. 1. obſerv. 18.* Qvid autem vetat brevius finiri, auriganté naturà & medicamentis adaptatis, hunc fluxum. Ad mortem terminatur, ſi hydrops & Phthiſis accedat. Rarum exemplum refert *Ballonius lib. 1. Conſil. 59. de fluore albo continuo ſuppreſſo*, qvi exindè mutatus fuit in Diabetem lèthalem.

§. XIIX.

Cum Medicus dicatur â medendo, tunc ſecundum *Helmontium* Medicus â dicendo potius qvam facièndo nomen haberet ſuum, ſi artem medendi non exerceat. Et hincè eſt ſcopus noſter primarius, ut noſtris præmiſſis & ſuppoſitis Curationem quoque ſubjungamus, in qvâ primum

 reſpi-

reſpiciendum ad indicationes, *Curatoriam*, *Præſervatoriam* & *Vitalem*. *Curatoria* conſiſtit in fluoris àlbi remotione, ut nempè ſiſtatur, viarum & vaſorum laxitas, glandularum vaginalium tonus reſtituatur, fermentum ventriculi roboretur, lympha depuretur, extravaſata evacuetur, ichoreſcentia corrigatur, fibræ uterinæ & vaginales adſtringantur, & humiditates abſumantur, atqve maſſa ſangvinea devians à ſuâ natura, ad ſtatum naturalem iterum deducatur, & Spiritus tam vitales qvam animales ad priſtinam naturæ bonitatèm perveniant. *Præſervatoria* intendit ablationem cauſarum antecedentium, qvæ fluori albo anſam præbere poſſunt; ut nempé Medicus præcaveat ulteriorem humoris affluxum, & cruditates atqve obſtructiones imminentes, & viſcerum principaliorum robur procuret. *Vitalis* deniqve reſpicit vires, ut amiſſæ reſtituantur & præſentes conſerventur, ac deniqve balſamus vitalis in vigore permaneat.

§. XIX.

Si ad metam Curationis felicioris pertingere velimus, opus habemus Medicamentis & remediis, qvæ ex triplici fonte erunt haurienda, nempè ex *Chirurgico*, *Pharmaceutico* & *Diætetico*. *Ex Chirurgico* ante omnia præferimus Venæ Sectionem, ubi nempè in Plethoricis ad plures annos fuit intermiſſa, & ſangvinis in aliis locis ſtagnatio adſit, ibi enim ſangvinis motus tardus ad priſtinum ordinarium reſtituitur. Si qvæpiam abhorreat à Venæ Sectione, tunc cucurbitulas eligere poteſt, ſi nempe applicentur in dorſo & brachiis. *Fabricius Hildanus Centur.* 1. *obſervat.* 4. Setaceum commendat, qvo talis-modi fluxum & inde ortam ſterilitatem feliciter curavit. Nonnulli ſalivationes hìc commendant, unice eundem in finem, ut lymphæ abundantiam tollant, & copioſum ſerum ad uterum profluens, diminuant & ſuperfluitates abſumantur.

§. XX.

Ex fonte Pharmaceutico commendamus purgantia

lenio-

leniora, qvæ pituitam viſcidam in ſtomacho & primis viis hærentem, & qvantitate peccantem feliciter & cum euphoriâ educunt, qvalis indolis ſunt pilulæ panchymagog. *Viri Excellentiſſ. Wilhelmi Hulderici WALDTSCHMIDII Profeſſoris Chiloniensis, Præceptoris & Patroni mei maximè honorandi*, qvarum deſcriptio arcani loco habenda. Alii *pilulas aloëticas cum reſin. gialapp. & bſalmo peruvian & °oo ☉rant.* præſcribunt. In qvibus acidoauſterum peccat, in iisdem præmittenda ſunt abſorbentia acidum, ut cum majori facilitate poſſit fieri evacuatio atqve eductio, aliàs enim monente Sylvio cum magna moleſtia fit humorum peccantium ſeqveſtratio, talia verò ſunt *Ocul.* ♋ *Conch. præp. Corn. Cerv. ſ.* △ *& uſtum. Spod. mater Perlar. &c.* Hæccè ſimili modo vomitoriis anteponenda; inſtar omnium Vomitoriorum erit tutisſimum ex ☿*emetico* compoſitum, cum ⊖ *artemiſ.* Poſt evacuantia ad Diaphoretica progrediendum nempè *Tinct. Bez. D. M. ſ. acido. Eſſent. ſuccin. Bezoard ♃ale. Eſſent. lign. C. C. ſuccinat.* ♎ *Bezoard. Buſſii. Tinct.* ♁. & huc pertinent balnea laconica, in qvibus nempè ſudor admodum difficulter prolici poteſt. Nec Diuretica negligenda, ubi præ aliis laudantur medicamenta ex *Terebinth. cum baccis Alkekengi & °oo ſuccin.* Inſpecie verò Practici hic præſcribunt martialia & ☿ea medicamenta, qvibus radicitus hunccè morbum credunt evellere, *Tinct ♂ aperitivam. Tinct ☿ri. Tinct ♂ aperitiv. Zwölfferi.* Qvod ſi hæc ſint præmiſſa, commendamus ſeqventem pulverem ℞ *pulv. conſolid. major.* ℥iij. *gland. qvern. excort. & exſiccat.* ℥j. *pulv. Arillor. paſſul. major.* ℈ij. *Maſtich.* ʒß. *conchar. præp.* ʒi. *pulv. menth.* ʒß. *Sacchar. finiſſ. ad pondus omnium. D. S.* Sonderliches Pulver eine Meſſerſpitze voll zunehmen auf einmahl. Vel. ℞. *Eſſent. calam. arom.* ʒjß. *cent. min.* ℥ijß *ſuccin.* ℈ij. *croci.* ʒj. °oo *Salis gemm.* ℥ij. *D. in Vitro S. Eſſentz* davon 30 biß 40 gtt. zunehmen in ▽ *urtic. mortuæ. Specificum eſſe nonnulli volunt ſemen urticæ albæ. Item Eſſentiam ſalviæ per triplicem infuſionem paratam.* Suffitus ſalviæ per infundibulum exceptus, eſt arcanum *Corbei*, Item Fotus cum Decocto vinc. per vincæ, cui additum

tum ſit alumen. Vel etiam *Terr. ſigill. Bol. arm. Cinis nuc. jugland. cum Vino in uterum injiciatur*, tunc mirificè ſolet huncce affectum ſiſtere. Gonorrhæam notham verò ſeu fluorem, album poſteriòrem & deteriorem qvod attinet, tunc primariò reſpiciendum erit ad Stomachi & inteſtinorum chylificationem, qvà remota ex ventriculo peccante materiâ per vomitoria, ad ſtomachica principaliora, nempè Elix. ⊕l. Mynſicht. aliaqve experta ſtomachica deveniendum. Deinde Sangvinis cruditas & cachexia per ⊖ia volatilia ∴ſa & aromatica tollenda, tandem ipſi fluori ſpecifice reſiſt ndum, partibusqve læſis adſtringentibus & uterinis eſt ſuccurendum. *Vid. Ettmüllerus loco ſuperius citato.*

ſ. XXI.

Diæteticus fons nunc qvoqve eſſet aperiendus, & qvæ ſint eligenda & aſſumenda, & vitanda, ex ſuperioribus de rebus nonnaturalibus, ubi actum fuit, petenda erunt, plura qvi deſiderat, adeat Practicorum librós, ad qvos remittimus Benevolum Lectorem & hisce Disputationis noſtræ imponimus

FINEM.

Deo Sit Laus & Gloria in ſempiterna Secula!